



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

§. 4. Papa Venetique a Franciæ & Angliæ Regibus delusi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

rebantur hæ literæ non modo ad summum Pontificem, sed etiam ad ipsos Cardinales exeunte Mense Decembri; ast per illas nec mutata fuit rerum facies, nec Pontifex adhucdum flecti poterat.

Sæcul. XVI.

A.C. 1527.

§. IV.

*Papa Venetique a Franciæ & Angliæ
Regibus delusi.*

Ceterum Imperator bellum contra Venetos adoriebatur, spe fretus, quod Franciscus I. validum exercitum submitteret, & Angliæ Rex irruptione in Belgium facta vel hostem alio diverteret, vel saltem pro more suo ad bellum sumptus pecuniarum subsidia suppeditaret; quippe Anglus in præcedentibus bellis tanta facilitate aurum opemque præstabat, ut Fœderati, quamvis nec sancita pace nec factis induciis Angliæ Regis commoda procurare studerent, nihilominus in ejus pecuniis velut in certo auxilio fiduciam suam reponerent. Attamen mutata temporis, rerumque vicissitudine Henricus propriæ experientiæ magisterio sapere incæpit, nec ultra aliorum compendia cum proprii æris damno promoveri statuit; accessit etiam, quod ærario Patris sui penitus exhausto, non

M 5

nisi

Sæcul. XVI. nifi ægre admodum a suo Senatu sub-
 A. C 1527. dia impetrare possent. Cum igitur Fran-
 corum Rex Henricum ad opem feren-
 dam haud amplius, ut olim, adeo pro-
 pensum cerneret, arctiorum cum eo ami-
 citiam contrahere differebat, donec de
 ejusdem suppetiis certus esset. Haud
 equidem Franciscum latebat, quod Hen-
 ricus remissiori, quam antea studio
 Cæsari faveret, hoc tamen nondum suf-
 ficere ratus, eundem quoque Italico
 foederi adscribere statuit; sat enim per-
 spectum habebat, quod sine Angliæ Re-
 gis subsidio Franciæ Regnum, cum ta-
 men pecuniis, milite & Belliducibus
 exhaustum esset, toti expensarum mo-
 li succumbere cogeretur. Hac ratione
 permotus Gallorum Rex, futuri foederis
 metum Cæsari inspirare, eumque eo
 inducere nitebatur, ut portionem, quæ
 tantumdem ac Burgundia valeret, sibi
 a Gallis oblatam acceptaret. Interea
 vero Franciscus bellum in Italia con-
 tinuo urgeri satagebat, donec Caro-
 lus Imperator vel ejus consiliis ac-
 quiesceret, vel Anglorum Rex Gallorum
 studiis penitus sese devoveret.